K Charles II King of England
E. 98. 837. l. 3.

AUGUSTISSIMO
Et Optimo REGI
Carolo Secundo,
In Statuam Ei in medio Mercatorum Foro positam.

Mellea Cecropiæ retulit facundia linguæ,
Candida si Virtus Mortali induta figurâ
Prodiret, seseque Oculis daret obvia nostris;
Tale decus formæ, talis foret ore decoro
Majestas & honos, subitò Mortalia corda
Attraheret, sanctoque sui Inflammaret amore:
Ecce manu doctâ, saxóque educta rigenti,
Spectari sese præbet Mortalibus ultro
Regia candenti spirans de marmore Virtus.
Heu lenes animi cum Majestate verendi,
Et sperare jubent, votisque apponere metam.
Ore, humerisque altis, similisque per omnia Imago
Stat nova prospiciens tandem *Sua* mœnia latè,
Augustumque caput, Vultusque ostendit honestos.
Faustus ades fœlixque tuis, cupidosque subire
Ne cunctêre lares, quamvis hic plurima nuper
Turba nocens, quamvis hic Regia marmora quondam
Insanam tulerint rabiem, dextrasque nocentes:
At nunc Hydra gemens, fauces elisa cruentas,
Extremum evomuit frustrà diro ore venenum;
Ipsaque Tisiphone stygiis emissa tenebris,
Pestis atrox patriæ, quæ lactans credula corda
Subdidit insanis alimenta perennia morbis,
Conscia vexatas fugiens trans æquora terras
Sera licet, stygiis dirum caput abdidit antris:
Insula convaluit monstro relevata nefando.
Tuque, O Dive Parens, fulges quacunque beatus
Parte poli, seu Cor Caroli, seu tarda Bootæ
Plaustra tuis gyro flectis propiore *Britannis*;
Aspice, sed mitis, sceleriscque oblite tuorum:
En pia diffusum nutu qui temperat orbem

Audit vota, tuuſque BONUS, BONUS Ille paterna
Sceptra gerens *Carolus* ſecurâ pace Triumphat.
Heu nimis infandum jampridèm ſanguine noſtro
Flagitium luimus! tortis armata flagellis
Heu nimis inſonuit Nemeſis vaga litora circum!
Fœda lues miſeras latè graſſata per oras
Incubuit, triſti conſpergens omnia tabo,
Vitaleſque ipſas infecit luminis auras.
Heu fera diluvies, quam millia multa nocentis
Innocuæque ſimul turbæ diſcrimine nullo
Correpta abſumpſit ſubitò lethale venenum!
Albion alma ſuis gemuit viduata colonis.
Hanc ſubitò excipiunt incendia ſæva, per urbem
Ultrices furiunt flammæ, atque ruentia tecta
Dant ſonitum latè, glomeratur in æthera fumus;
Mœnia dant pœnas, paucis abſumpta diebus,
Urbs æquata ſolo, calidiſque ſepulta favillis
Stat Divæ vindictæ atris Monumenta ruinis:
Diffugiunt trepidi cives & mentis egeni,
Nec tamen indurata ſciunt manſueſcere corda.
Inſtaurare nefas atrox, & rurſus in ipſos
Infames agimur ſcopulos, licet undique opimis
Albionis ipſorum & multa cæde cruenta
Oſtentent longè prærupta cacumina nautis.
Ipſum etiam cœlum, ſi mens non læva fuiſſet,
Signa dedit; mœſti quoties arſere cometæ?
Sanguineiſque comis cæcum quid triſte minantur.
Ecce autem crudele nefas erumpit, & omnes
Conjuratorum fœces, quos *Cæſaris* alma
Lethoque infamique cruci clementia quondam
Exemit, dederatque frui vitalibus auris,
In Servatorem inſurgunt, pectuſque ferire
Enſe parant, ſanctumque caput transfigere plumbo.
Proh genus infelix! an ſemina ſæva luporum
Quos pia cura patrum ſilvis detruſit avitis,
Humanos mentita artus, ſævire per oras
Inviſas iterum gaudent, & ovilia circum
Exercent rabidas iras, ipſumque minantur
Paſtorem petere in primis nil tale merentem?
Sanguine nec *Tanto* metuunt ſaturare furorem?
Falluntque humanis improvida corda figuris;
An miſera ambitio caput inſanabile vexat?
Peſtis Atrox, quid non mortalia pectora cogis

Per

Per fas perq; nefas regnandi dira cupido ?
At Te, dulce decus, Te ſervat dextra *Tonantis*,
Nota tibi, toties quæ Te per tela, per ignes,
Infeſtaſq; acies atq; agmina ſæva rebellûm
Protexit, tutumque alto ſub vertice quercûs
Fronde tegens Sacra eripuit, reducemque tueri
Sceptra paterna dedit, ſine vi ſine ſanguine ovantem ;
Non opis humanæ facinus, non marte cruento
Partum opus, ipſi, ipſi inviti, gens impia tandem
Agnovêre Dei numen dextramq; potentem.
Ille iterum irridens conſulta nefanda, tremendus
Ultor in authores dirum ſcelus omne retundit ;
Ille Hydram tenebris latitantem, & faucibus atris
Neſcio quam curam cæli terræque ſonantem
In lucem eduxit, patuêre ſtupentibus *Ora*
Sena, unciq; ungues tumefactaq ; colla veneno.
Quin ſcelus ipſa ſuum horreſcit male conſcia turba :
Tuque O infelix ! ſero tua cœpta peroſus
Infamiſq; memor pœnæ, & virtutis Avorum,
Degeneris ſubiit tanta indignatio facti,
Ipſe manu properas crudelem abrumpere vitam.
Ah Miſer ! haud vacuit CAROLI meminiſſe benigni?
Exitus heu triſtis ſceleris ! Lachrimabile fatum !
Tu documenta dabis ſævæ novus aſſecla turbæ,
Acta olim tragicis tua triſtia fata cothurnis.
O *Princeps* dilecte Deo ! Tibi militat æther,
Invigilat Tibi cura poli ; Teq; undiq; tutum
Aligeræ denſo circumſtant agmine *Turbæ*.
Ipſe tuis profugam revocabis ad otia pacem,
Arbiter idem aliis mox gentibus ipſe daturus.
Quem fugit immemores *Batavos* debere ſalutem
Cæſar magne, Tibi ? medio victoria curſu
Cum ſtetit, atq; armis juſſiſti apponere metam.
Ad Te cautus *Afer* properat pacemq; precatur,
Teq; petens ſupplex ardenti à litore *Bantæ*
Decolor *Indus* opem poſcit, vireſq; *Britannas* :
Hic longum muratus iter per cærula regna
Ore ſupet ſimo, & liquidum putat omnia pontum.
Te litus colit omne vagum, Te ſupplice velo
Oceani Dominum agnoſcunt, & ſigna verentur.
At tremula Urbs, male ſana olim, depelle timores,
Non ſtat Victor ovans, quid enim ſit lenius illo ?
Quo melius terris nil fata dedere dabuntve.

Nobile depoſitum, longi ſtat pignus amoris,
Hic tibi *Palladium* media inter mœnia fiet.
Cernitis ut miſeræ properent in prælia gentes,
Hinc ſævæ *Turcarum* acies, *Germania* pugnax
Illinc Bella movet contra; Mavorſq; *Polonus*
Fulminat, immiſcens ſe ultro victricibus armis;
Chriſtiadum immortale decus, de quo tamen unum
Hoc dubitatur, Conſiliis ſit Major an Armis,
Vicinæ rupto inter ſeſe fœdere gentes
Cæco Marte ruunt, ferro ſævitur & igne:
Nobis alta quies, & tutis otia terris,
Nobis ubertas, & divite copia cornu
Omnigenas effundit opes, vultuq; ſereno
Pax fovet, & late niveis amplectitur alis.
Siquis amor patriæ tangit, ſi, plurima ſæpe
Ficta per ora ſonans, Divi reverentia Cultus,
Si dulces nuptæ, ſoboles, notiq; penates,
Si ſit opum cura, aut libertas dulcis avita,
Ponite diſcordes animos iraſque perennes:
Neve latens hoſtis fallat male credula corda,
Neu pia vela juvet fœdis obtendere cœptis,
Auſa patent, ceciditque etiam pellucida larva.
Concordes merito *Carolum* veneremur honore,
O quam certa ſalus! O quæ fœlicia ſurgent
Tempora, & invidiæ cunctis erit *Albion* oris.
Vive diu, *Rex magne*, novis erepte periclis,
Vive diu, *Primus*, liceat modo vera fateri,
Albionis Dominus, ſæcli melioris origo;
Vive diu, *Spes Una* tuis, pete ſidera ſerus,
Et Tibi de noſtris addat *Deus* optimus annos.

LONDINI, Typis *Gulielmi Downing*,
Typographi in vico Sti. *Bartholomæi*, 1684.